



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 41. Actiones ejus primæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

berto Siciliae seu Neapolis, Alphonso Ca-
stellae, Philippo Navarrae, Alphonso Ar-
ragoniae, Alphonso Lusitaniae, Carolo
Hungariae, Roberto Sueciae, Casimiro
Poloniae, Joanni Bohemiae, Hugoni Cy-
pri, ac Leoni Armeniae Regibus.

Saecul. XIV.
A. C. 1335.

§. XLI.

Benedicti XII actiones primae.

Papa Benedictus decimo Januarii sena-
tum habuit publicum, in quo cunctos
Præsules Parochosque iussit post anni-
versarium Virginis lustratae diem ad i-
psorum beneficia redire: alioquin se con-
tra eos remedia juris adhibiturum, nisi
Romana in curia hærendi causam in-
dicarent legitimam. Paulo post ad E-
piscopos Castellae ita scripsit: Cum do-
lore audivimus viros sacros & profanos,
etiam in dignitate positos varia scele-
ra perpetrare, adulteria, incestus, con-
cubinatus, matrimonia illicita, direptio-
nes, incendia, rapinas, & injustas ex-
actiones. Non possunt hæc crimina
Christianam fidem apud Mahometanos
vicinos vestros in contemptum non ad-
ducere, ac Dei præsidium contra eo-
rum incursum necessarium non avertere.
Hortamur proin ac præcipimus, ut coër-
ceatis hæc flagitia; & corrigendis mo-
ribus invigiletis. Dabat 12 Martii: si-

Vita PP.

p. 221. 230.

Rayn. 1335.

n. 67. 64.

Sæcul. XIV. milesque litteras eadem super re 6 Ma-
A.C. 1335. ji ad Regem Castiliæ Alphonsum exa-
 ravit.

Rayn. n. 39. Hoc primo pontificatus sui anno Be-
43. nedictus ab Alphonso Arragonum Rege
 ob Sardiniam, & a Roberto propter Nea-
 polim clientelæ professionem recepit: at
 Rege Siciliae Friderico hanc edere recu-
 sante statuit uti patientia: quanquam
 Rex Robertus hunc Principem pro ini-
 quo possessore habens urgebat Papam,
 ut eum sine intermissione ulla plecteret.

n. 51. Papa contentus erat ad eum mittere Ber-
 trandum Ebredunensem Archiepiscopum
 cum monitione 4 Maji scripta: in qua
 rem a *Vesperis Siculis* repetit; atque
 infulam a Rege Petro Friderici patre
 perperam occupatam memorat. Multa
 huic crimina objicit, inter alia, quod sibi
 arrogaverit bona Ecclesiarum, & aposta-
 tis schismaticis, nempe fratricellis per-
 fugium præbuerit. Finit exhortando
 eum, ut redeat ad officium, ac Ecclesiæ
 satisfaciat.

Vitæ. p. 198. Ultimo Maji Papa in senatu sacro re-
222. 230. vocavit quamlibet beneficii ecclesiastici,
Rayn. n. 67. dum conferatur, administrationem ab an-
 tecessoribus suis concessam, præterquam
 illas, quas Cardinales & Patriarchæ
 obtinuissent. Infirmavit etiam omnia
 beneficiorum, quæ prima vacaverint,
 promissa, quibus antecessor suus onerasset
 Eccle-

Ecclesias. Principum profanorum, quin **Sæcul. XIV.**
 etiam Virorum de Clero importunas **A.C. 1335.**
 preces cunctas penitus contempsit. Re-
 nuit beneficia tribuere iis, qui suo statui
 sufficientia jam tenebant: & quando eis
 dabat pinguiora, adstringebat eos, ut
 priora relinquerent. Denique sacrorum
 nundinationem ex Romana curia ex-
 terminavit; & cupiditatem, privatique
 commodi studium ab Ecclesia Dei remo-
 vere conatus est.

§. XLII.

Benedictus Avenione permanet.

Oratores a Romanis Avenionem missi **Ragn. 1335.**
 pontificio in senatu proponebant gra- **n. 3.**
 ves rationes multas, ob quas Papa
 transferre se Romam deberet; ubi divi-
 na providentia sedem posuisset Apostoli-
 cam; & ubi tot Sanctorum corpora
 jacerent. Benedictus matura cum Car-
 dinalibus deliberatione habita tam æquæ
 petitioni non posse se non annuere vi-
 dens reposuit: Nos & Cardinales volu-
 mus, quod postulatis, facere: sed tem-
 pus itineris prima Octobris declarabi-
 mus. Ita sonat Benedicti epistola ad **Vita. p. 199.**
 Regem Philippum Valesium ultimo Julii **Sup. §. 22.**
 data. Postea ille ad mentem anteces-
 soris statuit Bononiæ in Italia reside-
 re: tametsi anno priore inde pulsus es-
 set **§. 37.**

F f 4

set